

citius quam exorno. Sed certo certius habeo, quæ est ipsius humanitas, μή χαλεπῶς ἔχει Vadianus ille meus hanc nostram sedulitatem; etiamsi uterque utriusque ex æquo ignotus, immo^{a)} uterque utriusque notior, ut quam ^{— sit} est^{b)} (?) canibus non Delia, quidem, Argumentum aliquando faciunt/ Erasmii Roterodami epistolæ mirum quam doctæ, quam elegantes, quam acutæ denique, hoc est vere Erasmicæ. Dono quidem in præsentia Vadiano meo. Sed en δῶρα δέ τοι δώσω ξεινήα πολλὰ καὶ ἐσθλά, ut est in Homeri illa Batrachomyomachia²⁾. Vale. Herosoi, III Nonas Iulii.

a) „imo“. — b) Am Rande nachgetragen und eingeklemmt.

Doringus unice tuus.

Magno viro I o a c h i m o V a d i a n o, *omnium* literarum principi, *poetæ* laureato ac oratori *facundissimo*, amico singulari.

!) Vrgl. I, Register. — Da sich in Vadians Bibliothek die Basler Ausgabe von „Aliquot Epistolæ Erasmi Roterodami“ vom Januar 1518 vorfindet, darf wohl mit ziemlicher Sicherheit angenommen werden, dass Dörig ihm dieses, jetzt noch in der Stadtbibliothek vorhandene Exemplar geschenkt habe, und zwar doch eher im Sommer 1519, als 1518; denn die Bekanntschaft Dörigs mit Vadian scheint erst aus der Zeit zu datieren, als dieser wieder in St. Gallen lebte; Anfangs Juli 1518 aber konnte Vadian besten Falles erst seit wenigen Wochen dort angelangt sein. Dass er schon im Juni von Wien abreiste, geht doch mit Sicherheit aus Brief 127 hervor.

XI 180.

47.

Johannes Doring¹⁾ an Vadian.

Herisau. (1519.) Juli 21.

Übersendung eines Hochzeitgedichtes.

Doringus Vadiano suo

S. D. P.

Sive velis, sive nolis, boni facias oportet, benevolentiam, ne dicam licentiam nostram, Vadiane, Musarum meumque delictum, quod ultro nobis parteis sumpsimus gratulandi M(arthæ), novæ tuæ sponsæ, novo hymenæo; quem equidem ita te oblectare cupio, ut iam etiam magis tuus sit, quam meus, qui genuerim. Tonus a nobis nihil abludit; Dorius enim est; quandoquidem Doringus οὐ δύναται μαθεῖν, ἢν μὴ δωροδοκησῆι. Vale. Herosoi, XI Calendas Augusti.

Doringi ad Vadianum Hymenæus.

Festum turba hymenæum age Diis et concelebrantibus

Candida Pegasidum, Coniugiale epulum

Grata voce chori strepent,	Sertis iam viridantibus,
Dulcicanamque chelym ^{a)} .	Vertice Pegasio.
Miscet pocula dein puer	Porro pectora flammulis
Phrygius, aureolis	Incita amabilibus.
Fundens iam latices simul	Casto prosperat alite
Nectareos cyathis.	Delictum Bromii.
Mox per replicitos choros	Post ad connubia inclita ^{b)}
Innumeris choreis,	Aureolis soleis
Mox membra ad numerum cient	Ibunt numina Cypridis
Castaliæ Veneres.	Passibus innumeris,
Dein donet Venus aurea	Felices tamen et quibus
Munera coniugii,	Candida coniugia
Crispasque interea comas	Obtingunt mediocribus
Cingite Pierides	Muneribus Veneris.

Τέλος.

I o a c h i m o V a d i a n o tum poetæ clarissimo, tum oratori facundissimo, amico incomparabili.

a) „chelim“. — b) „inclita“.

!) Vrgl. I, Register. — Das Datum ergibt sich mit Sicherheit aus dem Thema des Briefs.

48.

XI 35.

Christoph Schappeler¹⁾ an Vadian.

Memmingen. (1519. Juli 2)

Besorgnisse vor der Pest.

Salutem et bene agere. Et alteras iamiam meas tuę Humanitati transmisi; tuas attamen nec cepi^{a)} litteras ulla, virorum amplissime, quibus vel ipsa, uti in frontem addixeris, amoris tui erga me, perinde consolationis gratissime scintillula recalesceret. At studio, ut fertur, dispari eundem sopiri, haud extingui coniecerim. Salvam me ducere vitam, qualem et tibi tuisque, a superis optarim semper; at vero anxiam, mestam, et te sciente sudoris assuetam te præterire nolui, quum et nostrorum condicio et rerum occupatio multiiuga non nihil fomenti itidem^{b)} præstare solet. Hoc tu ipse olim e iudicio medico palam censuisti; illud vero hisce meis litteris aridis enodare petii. Nempe quatenus pestifera tela solum in nostrum paternum arcus dei expansus emisit, quin immo^{c)} omnem Svitię

regionem, ob peccatorum, proh dolore! dolenda merita: eatenus et in Memmingen atque totam fere provinciam, quibus anno superiore in significatiorem salubrem, ut ab eiusdem facie timorosi fugerent, datus est, passim evolutura formidandum est. Non enim querulosus scribo: suorum fratrum, nostrorum dico, vel specietenus sauciati socios se exhibuere compassionis, calore vitali suffocato, quod ipse hauserim plane; neque personarum altitonantem iustum fuisse acceptatorem, quis fidelium asseruerit unquam? Idcirco^{d)} et adhuc manus ipsius extensa arcum tetendit, gladium vibravit. Populus tamen eius — o utinam eius et non Pharaonis mancipium occaecatum^{e)}! — nec reversus est ad percipientem, immo castigantem se, Dei iustam iram verendo seque ipsum emendando. Sed quos culpa oculos claudit, poena^{f)} utcunque aperit, et fatuorum damno nos, si rationis compotes, sapientes fieri convenit. Sed ecce! Vocavit nos misellos dominus misericors ad fletum, planctum et cilicium, et ecce risus, gaudium, occidere vitulos, iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum et opus dei negligere salvificum, tenentes tympanum, citharam et lyram! ad sonitum organi gaudent; ventri suo, non deo servientes ad ima rapiuntur. Unde divitias bonitatis, longanimitatis et patientiæ eius contemnimus vesani, ignorant, quoniam ipsius benignitas ad poenitentiam nos adducit. Significamus autem duritiam et cor impenitens; thesaurisamus nobis iram in die iræ etc. Ut quid nati, quid reparati? Perditio tua ex te, o Israel! Non volens iniquitatem deus; tu es. Omnis etenim, quæ sua, nemo, quæ Christi Iesu, querit. Statuere ferme omnes oculos suos declinare in terram. Inutiles facti sumus omnes. Non est, qui faciat bonum usque ad unum. Abundavit iniquitas, refriguit multorum charitas, exinanita fide abolita est promissio; et ut in versum dicam: Deum non timemus, patientissimum ultorem. Et rex quid tandem faciet? Malos utique male perdet. Hoc est, mi Ioachim, quo turbor, quo desudo, quo anxior, quo crucior, quo cum apostolo miser ego uror. Nisi ergo poenitentiam egerimus veram, incidemus in manus domini horrendas peribimusque omnes. Hoc visceretenus tecum lusi. Det deus optimus maximus pacem, quæ exsuperat^{g)} omnem sensum.

Si quo pedem a loco nostro, peste ebulliente, alienare contingeret, locum nativum forsitan felicem ocius accederem, quum loci mutatio, physicis^{h)} astruentibus atque plebeis, plurimum conducat vitam scilicet inappreciablem, si fas est, si domino placet, ad tempusculum redimendo, atque tuo in hoc sagace atque meorum expectans utar consilio. Tu vale, decus

unicum, omnesque fauste vivamus. Ad superos manus porrigam supplices. Christophori tui memor esto.

Der schimpf will sich zü ernst schicken dringen;

Ich besorg, wir müßen üwern rayen auch springen.

Confrater tuus integer

Christophorus Sertorius, Memmingensis concionator.

Magnifico viro domino Ioachimo Vadiano, Sanctigallensi doctore ac physico^{g)} celebratissimo, domino ac confratri suo percolendo. S. Gallen.

a) Hier, wie noch mehrfach, gänzlich unmotivierte Verwendung des geschwänzten „e“. — b) „idem“. — c) „imo“. — d) „Idcirco“. — e) „e“ für „æ“. — f) Geschwänztes „e“ statt „æ“. — g) „exuperat“. — h) „phiscis, -co“. — „c“ und „t“ scheint Schappeler ganz willkürlich neben und für einander zu verwenden.

1) Nach der Klage am Eingang des Briefs: dass Schappeler auf wiederholte Schreiben an Vadian keine Antwort erhalten, muss dieser Brief doch n. 52 vorangesetzt werden. Vor den Juli 1519 kann er aber nicht fallen, weil die Pest erst um Pfingsten (12. Juni) in St. Gallen ausbrach. Das mündliche Versprechen, an Schappeler zu schreiben, wird ihm Vadian bei seiner zweiten Heimreise von Wien gegeben haben. Die deutschen Verse am Schlusse des Briefes sind wohl eher auf die drohende Pest, als mit Rohling (Die Reichstadt Memmingen in der Zeit der evangelischen Volksbewegung, S. 77) auf den Beginn der reformatorischen Bewegung zu beziehen. Freilich kann es auffallen, dass Schappeler bei allfälligem Ausbruch der Pest in Memmingen nach St. Gallen überzusiedeln gedenkt, wo die Pest schon ausgebrochen war.

49.

XI 12.

Andreas Eck¹⁾ an Vadian.

(*Krakau. 1519. August.*)

Unterbringung des Christoph von Hinwil. Unterkunft bei Rudolf Agricola. Bericht über Verhandlungen mit Hektor von Watt, über den Krieg zwischen Polen und den Tartauren und über einen Besuch Konrads von Watt in Krakau.

S. Satis feliciter, humanissime domine doctor, Cracoviam ego cum Christophoro, D. Ioannis de Hinwil fratre germano, venimus, quem mihi ut filium commendaverat, ego ut filium^{a)} amo. Operam damus, ut et puero domino probo provideatur, cum quo bonis moribus assuefiat. Scribo itaque ad dominum Hectorem, si ei pro necessariis olim pecuniis opus fuerit, accommodato^{b)} det. Parenti ut reddat, scribe, et eidem me commendatum habeas. Ego filium commendatissimum habui. Sum ego apud D. Rudolphum, qui me summo persecutus est amore. «Ne sis sollicitus», dicit, «apud me manebis». Ego, utut possum me providere, ne ei sim difficilis, volo. Ceterum^{c)} plus quam sollicitus in negotio tuo erga Hectorem fui, et (ut iussisti) obnixè precatus